



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 117. Joannes profligato ejus exercitu vita secundus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

edocebant; præprimis Connestabilis Fi- Sæcul. XVI:  
lius Albreto nunciabat, viginti armato- A.C. 1516.  
rum millium exercitum in ejus opem præ-  
sto esse, præter illas copias, quas ipse  
Joannes annuente Francisco Rege apud  
Vascones conduxisset. Attamen bellioi hu-  
jus apparatus fama haud diu Ferdinandum  
Arragonium Neapolis Proregem la-  
tebat, qui protinus totam rei seriem Xi-  
menio perscripsit. Cardinalis veterauæ  
militiae exercitum contraxit, ejusque im-  
perium Ferdinando Villalvæ detulit, da-  
to eidem negotio, ut Beamontiorum fa-  
ctionem dissiparet, obfessisque Ronceval-  
læ viis Joannem Albretum aditu prohibe-  
ret, indeque redux cunctas munitiores  
Navarræ urbes solo æquaret, excepta  
Pampellone, ubi arcem constitueret, cu-  
jus præsidio Navarrenses in officio con-  
tinerentur.

Ronceaux.

### §. CXVII.

*Joannes profligato ejus exercitu  
vita funditus.*

Hæc Ximenii mandata Albreti, primi-  
que agminis Ducum notitiam peni-  
tus fugiebant; quinimo media etiam  
acies montium angustias a Villalva jam-  
jam occupatas omnino ignorabat; unde  
totus exercitus incauto pede procedens  
in insidias sibi structas incidit, atque a  
laten-

Gomes in vi-  
ta Xim. l. 6.

**Sæcul. XVI** latentibus Hispanis communi clade dele-  
**A.C. 1516.** tus est. Sinistro hoc fato Navarræ Rex,  
 cuius ultima acies arcem S. Joannis Pe-  
 deportuensis cingebat, tanto terrore re-  
 plebatur, ut, licet oppidum jamjam expug-  
 nasset, arcis tamen obsidionem solvere  
 compulsus ad Bearniæ Principatum fu-  
 gere festinaret. Hoc factò Villalva Xime-  
 nii jussis obtemperatus, confestim qua-  
 ruindam urbium mænia everti præcepit.  
 Joannes vero Albretus adversantis fortu-  
 næ injuriam ferendo impar, paulo post  
 fatis cessit, ac septimo post ejus obitum  
 mense illius Conjux vivis erepta fuit, re-  
 licto Henrico quatuordecim annorum fi-  
 lio regni Hoerede. Mors quoque gloriam  
 ob Navarricam coronam Hispanis serva-  
 tam Belliduci Villalvæ invidebat; ipse  
 enim exiguo post tempore a convivio,  
 quo eum Navarræ Connestabilis Lerini in  
 suo castro exceperat, recedens, repentina  
 morte eruptus est, propinati veneni  
 rumore in vulgus sparso.

## §. CXVIII.

*Rex Hispaniæ de Joannis Albreti  
 expeditione apud Galliarum  
 Regem conquestus.*

**H**æc Joannis Albreti molima permou-  
 leste ferebat Carolus Hispaniarum  
 Rex, cumque Franciscum I. consilii par-  
 tici-